

# REINHARDI BACHOVII

*ECHTII, I. U. D. ET IN ACADE-  
mia Heidelbergensi ordinarii Professoris,*

NOTÆ ET ANIMAD-  
VERSIONES

*AD DISPUTATIONES*

HIERONIMI

TREUTLERI IC.

*Es de la lib. del Colegio de la Mag.  
Nunc demum.*

In hac quarta Editione Confectariis, Additionibus ad singulas  
disputationes ex jure theorico, practico, publico & militari, quæ tam à TREUTLERO,  
quam BACHOVIO prætermittæ fuerunt, adauctæ & locupletatæ.

*Opus omnibus tam in Theoria, quam in Praxi versantibus  
utilissimum.*

Adjectus est Rerum notabilium & LL. Illustratarum

I N D E X.

VOL. II. PARS PRIOR.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
Apud WILHELMVM ET FRANCISC. METTERNICH, Bibliopp.  
ANNO M. DC. LXXXVIII.

PARTIS II.  
DISPUTATIO I.  
DE PIGNORIBVS ET  
HYPOTHECIS.

*Respondente.*

JOHANNE Apffel Assenheimeri. Wedderev.

THESIS I.

LIT. A. & B.



Illud recte, quod pignus sit. A. etiam rem ipsam significare ait, sed huic acceptioni genus istius definitionis convenire non potest: & ita omnino est, ut pignus hic non per *contractum*, sed per *ius* sit definiendum, quod conventionem & aliis modis constituitur, de quibus mox th. 2. Neque citra gravius etiam vitium pignus in specie de contractu, qui recontrahitur accipere possis: quod absurdum sit, disputantem in genere de pignote, præfigere definitionem speciei, quæ nec tertiam generis exhaustat partem: cum præsertim speciali illi acceptioni nec quæ hæc th. 1. & multo minus quæ th. 2. circa divisionem pignoris proponuntur, conveniant. Pignus igitur in genere est jus in rebus pro securitate debiti creditori constitutum: qua differentia à fine desumpta, ab aliis contractibus separatur.

*Et hoc verum est.*] Pignus ait esse contractum in se consideratum, interim tamen & vere aliorum contractuum adminiculum dici. Ex quibus verbis duo consectaria deduci possunt. 1. quod duplex sit consideratio hujus contractus: in se, & ut adminiculum aliorum contractuum. 2. Detrahi aliquid naturæ contractus, si aliorum sit, accessio. Neutrum verum videtur: non prius: quod pignus semper aliorum contractuum accessio est: non posterus, quod contractus sive pignoris sive

fidejussoris, non eo modo accessorius dicitur, sicut alia ab aliis dependentia, ut ab eis avelli nequeant: sed revera per se & separatim subsistentem & suis limitibus circumscriptam habent naturam. Cæterum non tam adminiculum, quia contractum principalem nullo modo sumat aut confirmat, sed potius accessorius contractus dicendus est. Connexionem titulum non valde moror, & rationi à Tr. adductæ parum tribuo: quod si enim ideo quia pignus contractus est, hoc loco recte proponitur, etiam de stipulatione hoc libro agi potuisset, & rectius utique de pignote, tanquam contractu nominato reali post lib. 16. actum fuisset: & hoc lib. 10. de pignote non contractu tantum, sed in genere agitur: & tandem si hanc rationem attendisset Justin. non separatam partem hinc incipere debuisset.

LIT. C.

Quod contractum nominatum re initum dicit, pignori in specie tantum sumpto convenit, adeoque nihil movere potest l. 1. de pignor. act. sed ea necessario ostendit, quod pignus in genere contractus talis recte definit, non possit.

LIT. D.

Recte dicitur specifica differentia sumi à fine, qui est debiti restituendi securitas: cujus finis respectu distinguitur à commodato: alias etenim ex pacto & contractu antichresi, pignote uti licet.

A

II

*An statutum* ) Non dubitaverim verissimam esse negativam, quod statutum lucrum dotis attribuens marito, in paraphernalibus locum non habeat: quia hæc diversam à dotalibus bonorum speciem constituent, & verba statuti, præsertim derogatorii juris civilis, & tendentis in præjudicium tertii, in proprio significato & strictè sunt accipienda. Quæ ratio cum perspicua sit, jure quis miretur. à *Thessaur. decis.* 195. hanc quæstionem pro valde dubia & ardua haberi: & admissim, quod *Roland. à Vall. de jur. dot. quæstion.* 50. in mobilibus paraphernalibus, quæ ipse appendicibus & pertinentiis dotis appellat, statutum illud vult obtinere.

*De jure tamen.* ) Hoc quidem ex constitutione Electoris non probatur, & oportet certo & indubitato text. id ostendi: quoniam dos etiam in rebus immobilibus constitui potest: & statutum illud de lucro dotis, vel bonorum uxoris, quod ipse Treut. subjicit, tantum ad mobilia pertinet; quod etiam ostendit constitutio Augusti *part. 3. cap. 11.* Et tamen illud ipsum, ut maritus mobilia uxoris lucretur, tantum ad casum intestato defunctæ pertinere videtur: quoniam ejusdem Augusti *part. 2. constitut. 15.* expresse sancitur, *Das auch die Ehefrawen / von ihren Haab vnd Gütern / beweglichen vnd unbewegl. sachen / wof. Testament machen vndgen:* adeoque falsum erit, quod ad hoc opus sit permissione mariti, ut subjicit *Tr* in verissimo amplius. Sed hæc Jurisconsultis fori Saxon discutienda relinquamus.

## THESIS XII.

## LIT. A. &amp; B.

*Et fructus veniant.* ) Qui scilicet vel ante vel post matrimonium percepti à marito fuerint: qui scilicet dicuntur augere dotem, ut notatum ad *th. 1.* adeoque odiosa repetitio est, quod *lit. B. in vers. illud facile,* de fructibus in augmentum cadentibus proponitur.

*Proinde si extraneus.* ) Nimirum culpa mariti est, non exigere dotem promissam: & ei tamen ignoscitur, si persona quæ debuit ex eo genere fuerit, quæ præcipitari, & rigide & in solidum non potuit nec debuit exigi, *lib. si extraneus* 33. *h. r.* ubi traditur etiam extraneum ejusmodi personam esse, si donandi animo dotem promiserit. Cui omninò ob stare videtur *l. Nisennius 41. de re judic.* ubi in iisdem terminis responderetur, quod promissor dotis etiã donandi animo, si à marito

convenitur, non habeat privilegium competentie. Explicationem, quam noviter à Fabio tradidit per errorem ait Treut. ex aliquot *Dd* proponit *Zaf. in d. l. 41.* quod ibi promissor etiam personam mariti, ne uxorem in dotatam haberet, respexerit, Ipse tamen *ibid.* & meo judicio rectius distinctionem Jason probat, quod in *d. l. 41.* donator ab uxore marito fuerit delegatus, cui cum dotem ex causa, quæ in mariti persona haberetur onerosa, promiserit, prima causa donandi respectu uxoris, in actione propria mariti ex stipulatu, non attenditur: sed in *d. l. 33. h. r.* nulla facta delegatione mulier actionem suam, ex promissione donandi animo facta sibi competentem in dotem dedisse intelligitur: ut proinde marito tanquam ex persona & nomine uxoris agenti, jure privilegium & exceptio competentie objiciatur.

## LIT. C.

Proponitur hic species & explicatio *lib. 7 §. Papinian. alias lib. divorcio sol. matrim.* ubi proponitur fundus maritis jam avis vindemiarum tempore in dotem datus, maritum perceptis vindemiis fundum Calend. Novembr. locasse: divorcio extremo Januarii die facto, vindemiarum fructus cum quarta portione mercedis instantis anni, pro tribus videlicet mensibus debita, confundendos, & ex ea pecunia tertiam partem viro relinquendam esse responderetur. Finge vindemiarum fructus esse XII. fundum à marito itidem in annum proximum locatum fuisse, confusi fructus cum portione mercedis efficiunt XV. ex quibus juxta computationem Papi. maritus V. habebit. Quæ supputatio hoc incommodi habet, quod marito pro tertia parte anni quæ stetit matrimonium, tantum quarta pars fructuum debeat, quam cum habeat integram ex fructibus vindemiarum, nihil ipsi ex portione mercedis dandum esse videtur: quod si enim ponas præter vineam etiam menses in fundo fuisse, & ita fundi partem quæ menses habebat elocatum fuisse: præterquam quod hoc extra textum ponitur, gravius inde incommodum sequeretur: quoniam marito quarta pars omnium omninò fructuum deberetur. Vidit hoc etiam *Bart. in d. l. divorcio solut. matrim.* ubi hoc sibi objicit, quod si fundus locatus non fuisset, nihil amplius maritus habuisset: itemque *Castrus. qui ibid. num. 1. in f.* difficultatem ait esse in quarta parte pensionis quare veniat in contributione: cum ea

e. s. ceteroquin bona eederent monasterio, cum monachus nihil proprii habere possit.

Pag. 267. in pr. De surdo natura dubium facit, quomodo possit hic exponere voluntatem suam, cum nec loqui possit, qui nunquam audivit: & fortassis nec verum est, quod Justin. ait, audire eum posse, si quis supra cerebrum ipsius loquatur: quo modo ut aliquis loqui discat, impossibile videtur: serum autem & ridiculum hic, sub tempus demum condendi testamenti tale quid velle machinari.

Pag. 346 in f. verba *aut solus ita scriptus est*, minus commode dicta sunt: quia sequitur, *seve unus seve plures*. Intelligo uniformes institutiones: ubi omnes ex certis partibus, omnes ex rebus singularibus, omnes sine partibus scripti sunt.

Pag. 348. Dubia hæc questio est, & dubia assertio, quod filius hæres pro quacunque parte, rem a parte alienatam, in solidum vindicare possit: si quidem regressus non poterit negari emptori contra hæreditatem patris si filius rem evicerit: quem utique regressum filium hæredem, pro parte sua sentire necessum est: adeoque vindicanti ei, obstare debet exceptio.

Pag. 355. De sententia Treutl. hic forte non satisficit. Hoc autem statuo, quod filio qui simpliciter tacuit neque actu se immiscuit, si creditores cum convenire velint, integrum sit abstinenti beneficium, & tum voluntatem suam declarandi.

Pag. 346. lit. A. in princ. Potest tamen aliqua dari affinitatis, quia legere, *læpe* significat eligere, veluti frequenter apud Livium *forte lecti*: atque ita qui legat & ex hæreditate delibat, videtur ex multis aliquid seligere pro legatario: quo pertinet citata a *Tr. l. 116. d. legat. 1.*

Pag. 491. vers. *Imo & ex post*. Agno scio etiam aliis modis quam ibi notatis, ex post facto quædam effici intestatum, V. C. per destitutionem hæredis sed non tamen hoc ex facto & impugnatione hæredis.

Pag. 493. post pi. Imo aliter proponit Paul. ita conventum ut justæ hæreditates essent communes, & justas explicat de legitimis, & has intelligit delatas ab intestato: adde etiam *Alciat. 4. paradox. 7.*

Pag. 537. vers. *enjus usus*, potest recte defendi, hodie esse frequentiore vel quia etiam in successione ex testamento ei locus, vel quia plures personæ conferunt, vel in plurimum successione, etiam matris & avi materni, quoad dotes & donationes propter nuptias.

Pag. 559. lit. E. Haud scio an materia collationis recte vocetur exorbitans, cum passim eam ampliatam vel extensam videamus: tiam a ICto in *l. 10. d. collat.* cum utique quod Prætor hic introduxit æquitati & rationi conforme sit, tendens quippe ad temperandam & tollendam iniquitatem & injuriam, quam emancipati inferebant suis & hodie ad inducendam æqualitatem inter liberos, quæ maxime favorabilis est.

Pag. 545. Ad explicationem *l. 1. §. 16. d. conjugendâ, cum emancip.* non dissimulo admonitum me ab erudito juvene, casum poni debere *ex l. 3. §. ultim. hoc titul.* & nimirum quod filius ipse emancipatus porro emancipavit filium suum, quem scilicet nepotem suum avus adoptavit: itaque mortuo avo ex edicto prætoris duo nepotes, utpote in potestate avi tempore mortis existentes, cum patre concurrissent: atque ita recte ait ICtus, quod hi nepotes præmortuo patre cum duobus patris concurrentes ferant tertiam æqualem, qui vivo patre concurrente minus haberent, quoniam ipsis pater ratam abstulisset: quem casum intelligendus est respexisse ICtus.

\*\*\*

\*\*

\*